DE FILICIS MARIS OLEO.

DISSERTATIO
INAUGURALIS

QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSI
MEDICORUM ORDINIS
PRO SUMMIS
IN
MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS
RITE IMPETRANDIS
DIE II. M. NOVEMBRIS MDCCCXXVII
H. L. Q. C.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

HERRMANNUS LEO MAXIMILIANUS BORETIUS
CAYMEN-BORUSSUS

CONTRA AMICOS OPPONENTES
J. F. SOBERNHEIM
BROMBERGO-POSNANUM
ET
A. S. ROSENBAUM
REGIMONTANUM
MEDICINAE CULTORES.

REGIMONTII PRUSSORUM
TYPIS ACADEMICIS HARTUNGIANIS.

VIRO

CLARISSIMO, EXCELLENTISSIMO, DOCTISSIMO

LUDOV. GUIL. SACHS

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, MEDICINAE PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO, H. T. PRORECTORI MAGNIFICO, ORDINIS ST. WLAD. EQUITI, COMPLURIUM SOCIETATUM LITTERARUM SODALI, ETC. ETC.

VIRO

CLARISSIMO, EXCELLENTISSIMO, DOCTISSIMO

GEORG. AUG. RICHTER

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI; MEDICINAE PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO, ORDINIS CRUCIS FERREAE EQUITI, SOCIETATUM LITTERARUM COMPLURIUM SODALI

ETC. ETC.

PRAECEPTORIBUS AC FAUTORIBUS PIE COLENDIS

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

ANIMO GRATISSIMO

D. D. D.

AUCTOR.

Praefamen.

Cogitanti mihi saepenumero, remque animo volventi, qui fiat, ut, cum in caeteris litteris doctrinisque haud magnis implicitum sit difficultatibus, de re uberius et subtilius disserere, in una medicina tironi arduum prope ac spinosum sit, quid novi conscribere; hoc potissimum in causa esse videtur, quod, cum rei ipsius difficultas haud finibus circumscripta, tum maxime auctorum in judicio ferendo summa diversitas, impedimenta objecerunt, quominus acrius et fusius tractare et persequi possimus ea, quae imprimis exponere conamur. Inter argumenta, cum mihi proposita, tum a me ipso selecta, suadente ill. Prof. Dr. Richter, praeceptore doctissimo, de Filicis maris oleo, propter rei et novitatem et dignitatem dissertasionem hanc inauguralem consignare haud dubitavi. Non inutile mihi visum est, descriptionem radicis Filicis maris analysesque ejus chemicas praemittere, atque tum ad

oleum, partem radicis efficacem transire. In chemicis Dr. Dulk, vir in rebus chemicis experientissimus, magnum mihi adtulit adjumentum, in re autem therapeutica Prof. Richter, cum libros, ad disquisitionem thematis pertinentes, largiter mihi suppeditarit. Nec non viris in curandis hominum morbis versatissimis, exc. Kranz, medico supremo legionum, quae Borussiam orientalem et occidentalem tenent, et exp. Dr. Jacobson maximas persolvo gratias, quod observationes, ab ipsis sedule ac ingeniose institutas, mecum communicaverunt. — Te autem, L. B., ut opusculum hoc animo benigno excipias, obnixe rogo. —

Priusquam ad dissertationis argumentum ipsum me vertam, nonnulla de planta plantaeque parte, oleum nobis praebente, praemittantur necesse est. Est ea pars rhizoma Aspidii Filicis maris, Schwarz et Willd., vel Polypodii Filicis maris, Linn, vel Nephrodii Filicis maris, Richard. Pertinet ea Planta, secundum Linnaeanum systema, ad classis vicesimae quartae, Cryptogamia vocatae, ordinem secundum, qui Filices cohibet; secundum naturale Jussieu systema ad classis primae primum ordinem.

Stirps perennis, in sylvis europaeis copiosa, maxime septentrionalibus.

Rhizoma oblongum est, pollicem crassitie adaequans, non profunde sed horizontaliter currens, repens et obsessum undique rudimentis stipitum oblonge ovatis, incurvatis, approximatis, nigricantibus, item squamis emarcidis, fusco-ferrugineis, plicae speciem prae se fert. Color recentis radicis extrinsecus est viridi-fuscus, intrinsecus viridis vel admodum albus, siccatione autem mutatur color superficie in nigro-fuscum, interiori vero parte in pallide-fusco-flavum. In statu recenti radix non minus vehementem habet odorem, nauseosum illum et balsamicum, saporeque est austero, primum subdulci ac mucoso, tum amaro et quodammodo adstringente. Sapor siccae radicis adstringens, dulcescens, subamarus et paullo acris. Intus parenchymate quodammodo repleta est radix, quod ipsam efficacem continet partem. Qua ex causa illud solum in usum vocandum est. Auctumno collecta radix viribus orbata esse dicitur, alio itaque tempore colligi debet et quidem, uti Peschier contendit, [1] maximae ei vires medicatrices insunt, si sub finem mensis Maji ad medium circiter usque mensem Septembrem collecta sit. Accurate decorticari,

---

1) Froriep, Notizen a. d. Geb. d. Nat.- und Heilk. Bd. 13. p. 74.

brevissimo tempore siccari et in locis bene clausis servari debet. Quotannis quoque colligenda est, nam saepissime post annum praeterlapsum vi efficaci privata est. Plantam etiam in regionibus humidis umbrosisque habitantem, minus efficacem esse, quam illam in montosis et siccis provenientem contendit Schwarze [2]).

Praeprimis autem magnopere interest, quod radicibus tantum a Polypodio Filice mari utamur, nunquam vero ab aliis stirpibus, quarum radices illis simillimae sunt, haudquaquam vero principium anthelminthicum continent, ut ars chemica probat. Radix nimirum Filicis maris omnino differt ab aliis, parenchymate rhizomatis crassiore, odoreque balsamico peculiari. Confunditur autem plerumque radix, de qua agitur, cum his, quae sequuntur.

I^mo^ Cum radicibus Aspidii spinulosi Wild. [3]) Rhizoma hujus stirpis non tam crassum, tenui parenchymate, debiliori sapore odoreque, quam radix Filicis maris; maxime autem haec radix

2) Schwarze, Prakt. Beobacht. u. Erfahr. a. d. Med., Chir., Geburtshülfe u. gericht. Arzneikde. Dresd. u. Leipz. 1827. pag. 162.

3) Wakenroder Comment. de Anthelm. vegetab. Goettingae 1826. pag. 43.
Schrader in Berlin Jahrb. 1803.
Willdenow in eodem 1807. Ueber die Verwechslungen.
Schwarze, Pharm. Tab. Bd. 1. pag. 208.

differt setis, quae dentibus foliorum obsedunt. Ceterum radix hujus stirpis ei Filicis maris prae ceteris simillima est.

II^{do} Cum radice Filicis foeminae. Haec radix directione perpendiculari descendit, est atra, flexibilis, plerumque bifida vel biceps, multis fibrillis nigris, et perpaucum parenchymatis continet, colore albo-viridi ab aëre rufescens, odore fere nullo, sapore ingrato, amaro, adstringente.

III^{tio} Cum radicibus Pteridis aquilinae. Rhizoma tenuissimum, longum, repens ramosumque, extrinsecus colore nigro, et cultro oblique perscissum, aquilae figuram ostendens.

Analysin chemicam radicis Filicis maris primus instituit Gmelinus [4]) et in radicis siccatae unciis sex reperit:

1. Extracti aquosi primi, colore subfusco, sapore subdulci, paululum adstringente, tandem amaro — Unc. 2 drachm. 6 et scrup. 2.
2. Extracti resinosi secundi, adstringentis, amarique unc. dimid.
3. Partium remanentium unc. 2 et dr. 7,

Verum extracti resinosi primi ex nnc. sex radicis unc. 1 drachm. 7 cum scrup. 1.

---

4) C. C. Gmelin Dissert. general. filicum pag. 34 Murray apparat medicam. Vol. quint. pag. 454.

Analysin chemicam accuratiorem nobis praebuit de Gebhardt. 5) Invenit in unciis duabus.

1.	Olei pinguis, viridis, empyreumatici - - -	gr. 36.
2.	Resinae mollis, cui paululum olei pinguis admixtum erat - - -	gr. 40.
3.	Principii dulcis - -	dr. 3 et gr. 35.
4.	— adstringentis -	dr. 1 cum gr. 4.
5.	— extractivi vulgaris cum principii adstringentis et aliquantulum dulcis -	gr. 21.
6.	Albuminis solidi cum amylo	gr. 50.
7.	Amyli - - - -	dr. 1 et gr. 8.
8.	Partium fibrosarum -	dr. 7 et gr. 24.

Combustione unciarum duarum radicis tantummodo accepit cineris gr. 18, qui solum partium aqua solubilium gr. $1\frac{1}{2}$, Kali nimirum subcarbonici cum aliquantulo Kali muriatici et sulphurici continebat. Partes autem aqua insolubiles e calcaria sulphurica et carbonica, terra aluminosa et silicea et ferro oxydato erant mixtae.

Secundum analysin a Morin institutam 6) radix filicis maris hisce constat:

1. Oleo aethereo.

---

5) de Gebhardt Dissert. inaugural sist. anal. chem. rad. Fil. mar. Kil. 1821.
Pfaff Syst. d. Mat. med. nach chem. Princip. Bd. 7. pag. 214. sq.

6) Berl. Jahrb. der Pharm. XXVI. 2. 1825. pag. 80. et Trmsdorf. N. J. 2. pag. 101.

2. Substantia pingui (Steärinum et Elaïnum continenti.)
3. Acido gallico et acetico.
4. Saccharo non crystallisabili.
5. Principio adstringenti.
6. Amylo.
7. Substantia gelatinosa, spiritu vini et aqua solubili.
8. Partibus fibrosis.

In cinere invenit Kali subcarbonicum, sulphuricum et muriaticum, calcariam carbonicam et phosphoricam, terram aluminosam et siliceam atque ferrum oxydatum.

Wakenroder [7]) denique radicis Filicis maris investigatione chemica diligentissima extricavit haecce:

1. Principium adstringens cum saccharo crystallisabili et aliquantulum acidi malici - - -	31, 53.
2. Substantiam resinosam sui generis	6, 22.
3. Oleum pingue, oleo aethereo et Chlorophyllo conjunctum - -	3, 88.
4. Oleum unguinosum pallido-viride	2, 22.
5. Amylum, ei Lichenis islandici simile, principii adstringentis pauxillo inquinatum - - -	11, 11.
6. Partium lignearum - - -	45, 00.
	99, 96.

7) L. c. pag. 45.

Combustione omnes illae substantiae, ut in prioribus analysibus, quarum mentionem fecimus, acceptae sunt.

De partibus radicis Filicis maris efficacibus diversissimas statuerunt sententias autores. Moenchius [8]) virtutem Filicis maris anthelminthicam principio adstringenti inesse putavit. Ita etiam in libris de materia medica ab Heckero [9]) et Voigtelio [10]) conscriptis, radicem Filicis maris remediis adstringentibus adnumeratam esse legimus. Burdachius [11]) principium acre principio extractivo conjunctum, partem hujus radicis efficacem autumat. Schwarze denique [12]) ad remedia oleoso-aetherea radicem Filicis maris numerat, et multo quidem jure, ut infra demonstrare studebimus.

Morin primus hanc radicem cum aethere sulphurico extraxit et post aetheris evaporationem materiam nactus est pinguem, colore subfusco-viridi, peculiarem odorem saporemque parenchymatis radicis nauseosum habentem. Quare Morin

---

8) Moench. Systemat. Lehre v. d. einfachen und zusammengès. Arzneim. Marburg 1800.
9) A. F. Hecker prakt. Arzneimittellehre herausgeg. v. Bernhardi. Erf. 1819. 20. pag. 373.
10) F. G. Voigtel Vollst. System der Arzneim. herausg. v. Kuhn. Leip. 1816. 17. Bd. 2. Abthl. 1. pag. 490.
11) C. F. Burdach Syst. der Arzneim. 3r Bd. Pag. 138.
12) G. W. Schwarze Pharm. Tab. Bd. 1. Abtheil. X. pag. 208.

conclusit, hanc materiam esse eandem, quae praecipue in Taeniam enecandam vim suam coërcet. Immerito igitur a Peschiero, Pharmacopola hanc substantiam detectam esse, autores contendunt, sed frater ejus, medicus Genevensis, qua in urbe frequentissime obvenit Bothriocephalus latus, in quem jam diu verisimiliter quesiverat remedium haud fallax, in Morini abiit sententiam. Studuit itaque fratrem, Pharmacopolam eo adducere, ut illam substantiam radice Filicis maris extraheret, quo facto experimenta nonnulla, ab ipsis instituta, in aegrotis Taenia lata laborantibus, illam opinionem confirmaverunt. Tunc autem Peschier arte chemica hanc materiam porro exploravit, [13]) ex eaque substantiam adipociream extricavit, resinam fuscam, oleum aethereum aromaticum, pigmentum viride et rubrofuscum, principium extractivum, Kali muriaticum et acidum aceticum. Quomodo autem paretur oleum Filicis maris, neutiquam exposuit.

Accipimus hanc substantiam, si radicis Filicis maris recentis quandam quantitatem aethere sulphurico calide digerimus, [14]) vel digestionem

---

13) Berlin Jahrb. XXVIII. 2. pag. 101. et Bibl univers. 1826.
Hecker l. c. Bd. 5. pag. 506.

14) Hufeland Journ. d. prakt. Heilk. Bd. 61. St. 6. pag. 144. et
v. Froriep l. c. Bd 12. pag. 143.

frigidam per duodecim dies adhibemus, uti ab anonymo quodam, qui Bernae vivit, docetur [15]). Tunc destillatione vel evaporatione in balneo mariae aetherem sulphuricum separamus. Buchnerus aetheris loco spiritu rectificatissimo, cum minoris pretii esset, uti proposuit, verum Nees ab Esenbeck jure hoc improbat, [16]) quoniam viridifuscum oleum non educitur alcohole, sed imprimis resina tantum quaedam, colore flavo. De Santen quoque sententiam hanc confirmat, [17]) quibus ex causis radicem ad extrahendam resinam, inutilem utique, primo spiritu vini, ac tum aethere digerit, quo illud viride-fuscum oleum pingue extrahitur. Eodem quoque modo exp. Dulk oleum praeparavit.

Peschier e radicis Filicis maris recentis uncia una olei grana sexaginta quatuor nactus est. Dulk [18]) tantum drachmam et anonymus ille Bernensis e libra uncias duas duasque drachmas extraxerunt.

Hoc oleum liquorem crassiusculum exhibet, digito tangenti pingue quoddam relinquit, balsami Copaivae fere consistentia, colore viridi-subfusco, odore aethereo-empyreumatico, paren-

15) Hufeland l. c. Bd. 64. St. 1. pag. 133.
16) Brandes Archiv XX. 1. pag. 21.
17) Poggendorfs Annal 1827. 1. pag. 122.
18) Dulk Pharm. boruss. übers. u. comment. Bd. 1. pag. 404.

chymati rhizomatis adaequanti, sapore ingrato, acri, nauseoso, movetque in faucibus sensum prurientem atque pondere ab oleo Ricini superatur.

Peschier ei nomen „oleum Filicis maris" imposuit, quod autem a Buchnero spernitur, [19]) qui nomine „extracti resinosi" melius rectiusque notare arbitratur, quoniam nimirum sit solubile in spiritu vini, exceptis flocculis paululis, et tum liquorem lacteum, subflavum formet, aqua huic solutioni adjecta, in eadem vel pluribus diebus post nulla oritur praecipitatio. Buchnerus porro dicit, resinam acrem a Vouquelino rectissime dictam esse hanc materiam, quamdiu enim vel aetherem sulphuricum vel alcoholem vel partes aquosas contineret, tamdiu perseverare forma liquida.

Cum autem Peschier aethere sulphurico eduxerit radicem Filicis maris, Buchnerus vero alcohole, hanc ob causam praeparata horum virorum valde diversa fuisse, facile apparet. Etenim constat, partes pingui-oleosas ab aethere, ab alcohole autem resinosas resolvi. Propterea nomina, ab utroque viro praeparatis suis, inter se diversis, indita, aptissima forent. Attamen solum illud praeparatum, digestione aetheris paratum, si rem medicam respicias, magni

---

19) Buchners Repertor XXIII. 3. 1826. pag. 433.

momenti est, id quod experimenta numerosa, a Peschiero, medico Genevensi et aliis experientissimis viris instituta, ostendunt, de quibus infra adhuc loquemur.

Si nunc omnes illas proprietates hujus substantiae comprehendimus atque contemplamur, tum eam oleis pinguibus vegetabilibus sine dubio adnumerare possumus. Tamen materia graveolens, aetherea, inseparabilis praeterea ei adhaeret, id quod saepe nobis in substantiis vegetabilibus obviam venit. Quibus de causis consentire debemus cum Peschiero in nomine tribuendo huic materiae „oleum Filicis maris," quaevis alia nominatio autem perperam habenda est. Itaque etiam ad classem oleoso-aethereorum remediorum radix Filicis maris pertinet.

Pars therapeutica.

Antiquissimis jam temporibus, remedium anthelminthicum adhibebatur radix Filicis maris. Dioscorides usum ejus primus indicat [20]). Galenus [21]) et Plinius [22]) ei tribuerunt virtutes vermes necantes. — Quanquam hujus radicis uti-

---

20) Dioscoridis M. m. Lib. IV. cap. CLVI.
21) Galeni Meth. medendi lib. XIV. cap. XIX. Edict. Kühn.
22) Plinii Hist. natural. Lib. XXVIII. cap. IX.

litatem vetus probat experientia, tamen modo majori modo minori cum successu a medicis dabatur. Propterea autem vires radicis haud in dubium vocari possunt, sed quod vim suam efficacem interdum abnegabat, inde forsan venire potuit, quod saepissime cum aliis similibus radix permutata sit, ut supra jam dictum est cum radicibus Aspidii Filicis feminae, A. spinulosi, Pteridis aquilinae, quibus vero omnibus secundum analysin chemicam substantia anthelminthica illa deest, ideoque etiam, si eae adsumuntur, effectum ostendere nequeunt. Porro, quod creberrime longissimo tempore confectis, exarefactis radicibus uterentur et denique, quod tempore optimo montosisque et siccis locis non collectae sint.

Cum itaque tantae moles molestarum ambiguitatesque maximae in adhibenda radice praesto sint, nihil exoptatius medico esse debet, quam rationem invenire, qua omnino removeantur. Hanc viam ars chemica nobis ingredi docet, dum partem efficacem, oleum nempe ipsum, radice extraxit. [23]) Difficultates haud spernendae, quae praeter haec, supra dicta, in usu etiam pulveris radicis Filicis maris sese opponunt, plane tolluntur invento hoc excellente. Nunc non opus est, cum efficacem solam praebemus partem, partes

---

23) v. Froriep l. c. Bd. 13. Pag. 75.

caeteras, quibus non inest vis anthelminthica, addere. Magna quoque radicis prius assumendae quantitas frequentissime ventriculum affecit et vomituritiones, cardialgias, colicasque procreavit.

Praecavetur etiam sapori valde malo pulveris radicis ac in praescribendo oleo Filicis maris dosin ejus accuratissime destinare possumus.

Quod ad efficientiae modum huius remedii attinet, necessario cum radice convenire debet. Remedium scilicet vermes vi sua non expellit, sed necat, quo enim vermes ab eo necati evacuentur, medicamen alvum movens praebeatur necesse est. Cum nunc omnibus casibus, in quibus hoc remedio usi sunt medici, doceatur, vermem quantitate tantum minima et brevi tempore post assumtum oleum, saepe post paucas horas, necari, eo concludi potest, medicamen vermium vitae directe obstare. Hanc rem etiam haec experientia affirmat, ventriculum et intestina a quibuscunque nutrimentis atque a chymo liberanda esse, ne olei contactum ipsum cum verme prohibeant. Peschier quoque in eandem ivit sententiam, [24]) snfficere contactum ad necandum vermem. Quibus ex causis opinio esset falsa, oleum Filicis maris, ut efficaciam anthelminthicam exhibeat, primum assimilari debere atqne tum hoc modo

24) v. Froriep l. c. Bd. 13. pap. 76.

vim suam exserere, ut alienatam productionem, vermes gignentem in tractu intestinorum ad normalem actionem reddat idoneam. Ceterum nullae aliae vires sunt secundariae, id quod eo probatur, quod Peschier cuidam aegrotae nonaginta guttas propinaret [25]) sine omnibus molestiis, quae cum sumta radice Filicis maris conjunctae sunt.

Vetustissimis experientiis radicis hanc, contra vermes, vim efficacem nobis exponentibus et observationibus novissimo tempore cum oleo Filicis maris institutis, edocemur, oleum remedium specificum quoddam jure meritoque dici posse, ut a multis quoque experientissimis medicis fit, [26]) atque, si forsan quando minus efficax est, alia in causa esse videtur. Mirum est, secundum Bremseri experientiam, radicem Filicis maris efficacem vim exserere in Bothriocephalum latum, verum in Taeniam solium haud multum valere.[27]) Attamen vis quandam etiam in hanc haud negari potest, licet plerumque singulae Taeniae partes expellantur, nunquam vero vermis totus. Methodum tamen quandam comperit Peschier, qua quoque oleo Filicis maris Taenia solium necari potest, de qua autem infra adhuc verba faciemus.

Cuius olei adhibendi ratio simplicissima est

---

25) v. Froriep l. c. Bd. 13. pag. 75. 76.
26) Schwarze Prakt. Beobacht. u. Erfahr. pag. 160.
27) Bremser über leb. Würmer im leb. Mensch. pag. 154.

innotuitque ea plurimis ex ephemeridibus. Electuario vel pilulis optime datur; emulsio autem sine effectu fuit, testante Peschier, cuius medici ratio haec est. Vespere [28]) aegrotus diutius omnibus cibis abstineat, ventriculoque et intestinis non amplius impletis, consumat dimidiam pilularum vel electuarii partem, quibus 30 ad 40 usque guttas olei et copia necessaria cuiusdam remedii constituentis idonei inest. Deinde horis matutinis jeiuno dimidiam alteram partem et tunc horis duabus post quodcunque remedium, minime vero drasticum, laxans, itaque aut oleum Ricini aut infusum Sennae compositum. Genevae cum conjuncto oleo Ricini saepissime praescribitur oleum Filicis, ita ut aeger necessitate liberetur, remedium alvi fluxum ciens separatim assumendi. Creberrime autem vermis jam ejectus esse dicitur, ita ut haud oporteret medicum, medicamen alvum movens dare. Sin autem vermis non ejiciatur, remedio laxante dato, quod rarissime evenit, tunc ratio tota iteranda est. Plerumque in primis alvi evacuationibus educitur vermis, absque quibuscunque molestiis, et quidem

---

28) v. Froriep l. c. Bd. 12. pag. 143. Bd. 13. pag. 76. Gerson u. Julius Magazin Bd. 11. pag. 153. Horns Archiv 1826. Septbr. Octbr, pag. 350. Hufeland l. c. Bd. 61. St. 6. pag. 144. Bd. 64. St. 1. pag. 135.

dem saepissime convolutus, qua de re aegrotus nullas evolvendi ambages habet. Extat exemplum, [29]) vermem in materiam quandam pultaceam mutatum fuisse, in qua singula vermis membra perspicue videri potuerunt, cujus autem phaenomeni causa investigari non potuit.

Quo autem Taenia solium necetur et educatur, docet Peschier, [30]) praeter hanc rationem adhibendam, aegroto plane jeiuno hora dimidia post assumtas pilulas tempore matutino per clysma alvum ducendam esse, quod olei Filicis maris drachmam dimidiam cum amyli semiuncia contriti et in aquae tepidae duodecim unciis dissoluti contineat, tum prosperum eventum haud deesse.

Ex omnibus his perspici potest, oleo Filicis maris vim vermes imprimisque Bothriocephalum latum interficientem inesse atque evacuatione eorum subsecuta, omnia symptomata, aegrum vexantia, statim evanescere, tum autem symptomata helminthiaseos adhuc remanere, quae tollere medicum nunc decet.

Liceat mihi, nunc adferre nonnulla, quae experientia nos docuit. Medicus primus, qui

---

29) Hufeland l. c. 64 Bd. St. 1. pag. 134.
30) Bibliotheque universelle 1825. Novembre. Hecker l. c. Bd. 7. pag. 69.

oleum Filicis maris aegrotis, Bothriocephalo lato laborantibus, adhibuit, erat Peschier, [31]) deinde plures medicorum, Genevae praxin exercentes. Omnes aegroti eventu, ut Peschier inquit, perfectissimo gaudebant, ac jam in centum quinquaginta superque casibus [32]) memorat ejus frater, vermem prorsus evacuatum esse. Peschier tantum semel persuasum se habere nequivit, vermem medicaminis huius vi obtemperavisse. Culpae vertitur ab eo aut aegroti receptivitatem minorem esse aut parvam dosin aut formam, emulsionem nimirum, in qua oleum sumtum est, hac ex causa Peschier putat, emulsione oleum Filicis maris tali modo velari, ut impediat contactum ejus cum verme. [33]) Quae opiniones maximam ad partem a nobis haud refutari possunt, cum saepissime, hoc consilio ut exempli gratia remedia acria involverentur et eo facilius sumtu essent atque efficacia vehemens eorum finibus concluderetur, forma emulsionis utamur. Illi tamen non omnino nobis concedendum est, nimis pauca aegroti receptivitate efficientiam olei in vermem impediri. Cum enim Peschier contendit, contactum olei cum verme sufficere ad eum necan-

---

31. v. Froriep l. c. Bd. 12 u. 13.
Hufeland l. c. Bd. 61. St. 6.
32) Hecker l. c. Bd. 5. pag. 506.
33) v. Froriep l. c. Bd. 13. pag. 75.

dum; si hic contactus consequitur, necari deberet, et aegroto valde sensibili et insensibili.

Tum medicus Bernensis anonymus certiores nos facit, [34]) oleum Filicis maris in illa urbe frequentissime et maxima cum utilitate praescriptum esse, et non solum se ipsum, sed etiam alios ibidem medicos nunquam esse coactos, remedii dosin iterare. Quibus ex causis contendunt, ab hoc antecelli omnia reliqua remedia antitaeniosa celeritate, certitudine ac lenitate.

Dr. Behm, [35]) qui Stettini vivit, idem affirmat magnam olei Filicis maris utilitatem. Dedit nimirum mulieri cuidam, Taenia lata laboranti, perquam sensibili, quae antea pilulas terebinthinatas sine fructu sumserat, secundum Peschieri praescriptam rationem, supra dictam. Postea infuso Sennae composito, mane assumto, vermis abiit in primis alvi exinanitionibus absque omnibus molestiis.

Schwarze enarrat, [36]) a Doctore Struve, viro in rebus chemicis experientissimo, hoc oleum e radice extracto, experimenta faustissima instituta esse.

---

34) Hufeland l. c. Bd. 64. St. 1. pag. 133—35.
35) Hufeland l. c. 64 Bd. St. 5. pag. 125.
36) l. c. pag. 162.

Dr. Locher, qui medicus huic remedio omnem fidem abrogabat, quinque casus commemorat, [37]) in quibus ab olei scrupulo vel drachma dimidia perfecte interfectus bothriocephalus adeoque semel, nullo sumto medicamine alvi fluxum movente, expulsus est. Porro dicit, [38]) quocunque a Peschiero, Pharmacopola, hoc oleum missum esset, ubique omnibus exspectationibus mirum in modum responsisse.

Nostra in urbe etiam a duobus medicis experientissimis doctissimisque in usum est vocatum Filicis maris oleum, et quidem hoc cum successu maximo. Dr. Kranz, medicus supremus legionum, quae Borussiam orientalem et occidentalem tenent, mulierem, loco ampliori, aetate mediocri, curandam assumsit, quae frequenter vehementibus spasmis clonicis jam ex annis compluribus laboraverat, et hunc morbum principalem esse censuit. Verum propter abdomen, interdum tumidum, quandoque doloribus vexatum, et propter nonnulla alia symptomata est opinatus medicus exp., Bothriocephalum latum forsan esse causam morbi. Hac ex re oleum Filicis maris praescripsit aegrae secundum Peschieri methodum, verum haud expulsus vermis. Attamen

---

37) Hecker l. c. Bd. 7. pag. 68.
38) c. pag. 69.

hac medendi ratione pergebatur sequentibus diebus, ita ut circiter duae tresve unciae remedii assumerentur. Nunc autem, mirabile dictu, Trichocephali dispares permulti animadvertebantur in alvi excretionibus accurate perscrutatis, ac paulo post abiit magna eorum quantitas, ita ut mensura berolinensis impleri potuisset. Tunc bonā valetudine usa est aegrota.

Illa ill. Kranz observatio est perquam memorabilis. Bremser enim in libro suo inquit, [38]) nunquam sese Trichocephalum disparem ejectum observasse, nisi in puella, sex annos nata, cui cum aliis vermibus, Ascaridibus nimirum lumbricoidibus, vermicularibusque unum Trichocephalum disparem processisse. Dr. Locher tamen refert, [39]) viro Bernensi, qui etiam Bothriocephalo lato laborare credebatur, materiam gelatinosam, conjunctione permultorum Trichocephalorum disparium ortam, evacuatam esse. — Magna etiam horum vermium copia in casu ab ill. Kranz observato, admiranda est, at quoque cel. Rudolphi eorum mille superque reperit in cujusdam feminae cadavere.

Ex his observationibus intelligimus, remedium non solum contra Bothriocephalum sed

---

38) l. c. pag. 166.
39) Hecker l. c. Bd. 5. pag. 506.

etiam contra Trichocephalum disparem accommodatum esse, id quod medicis magni momenti esse debet et nunc temporis quidem saepius observabimus horum vermium evacuationem.

Insuper idem medicus oleo in duobus pueris curandis, ab Oxyuridibus vermicularibus vexatis, prospero successu usus est; Taeniam vero cum eo expellendi occasio nondum adfuit.

Deinde exp. Dr. Jacobson oleum Filicis maris puellae cuidam, viginti annos agenti, praescripsit. Saepe fragmenta Taeniae solium sponte apparebant ac insuper afflicta est convulsionibus epilepticis. Hujus remedii usu permulta membra singula vermis eüciebantur in alvi dejectionibus, immo vel remedii dosi, frequentissime iterata, haud tamen molestus vermis perfecte exaniebatur. Qui casus Bremseri sententiam rursus confirmat, adversus Taeniam latam effectum habere non autem in Taeniam solium [40]) radicem Filicis maris, atque semper quidem particulas hujus singulas expelli, minime vero vermem totum. Casus autem sequens, quem liberalitate benignitateque Doctoris Jacobson observare occasionem nactus sum, omnino confirmat, indicia aliorum medicorum de olei vi haud modum excessisse. Vir iudaicus, videlicet polonicus, jam ex complu-

---

40) in libro suo pag. 154.

ribus annis Bothriocephalo lato, quandoque partim sponte egrediente, laborans, medicum hunc experientissimum in consilium vocavit. Scrupulo uno olei nostri in pilularum forma vespere, et postridie mane medicamento alvum ciente adsumto, ingens Bothriocephalus latus prorsus evacuebatur. Jll. Prof. de Baer, praeceptor doctissimus, vermem inquisivit et caput ejus re vera, quanquam multo negotio, invenit.

Quae hucusque prolata sunt documenta a viris tot tantisque, experientissimis et versatissimis medicis, olei utilitatem salubrem et fructiferam extra omnem dubitationem ponunt, ita ut, majoribus eam exornare laudibus, haud oporteat.

Vitae curriculum.

Ego Herrmannus Leo Maximilianus Boretius confessioni evangelicae addictus, die Mensis Maji XXIIItio anni MDCCCIIItii Caymen, vico aede instructo, ubi pater sacerdotis munere functus est, parentibus dilectissimis natus sum. Prima jam juventute parentum morte praematura afflictus sum tristissime. Hoc unum mihi fuit solatium, quod pater in matrimonium duxerat mulierem praestantissimam, cui omnia debeo, novercam nimirum a me semper pio gratoque animo colendam, quippe quae puerum primis litterarum rudimentis et postea politiori humanitate liberaliorique doctrina indefesso studio instituendum curabat. Ad decimum usque et tertium aetatis annum domi a viro quodam litterato elementis litterariis eruditus sum. Ex hoc tempore praeceptores Gymnasii Rastenburgensis pueri scientiis universalibus excoluere. Rebus familiaribus coactus Gymnasium, quo tanto fructu frequentaveram, reliqui et privatis studiis litteris operam navavi. Anno MDCCCXXIII. die XXVI. Maji in numerum civium academicorum ab ill. Reidenitz, tunc temporis Prorectore magnifico

nifico receptus et ab ill. de Baer albo facultatis medicae sum inscriptus.

Erat autem studiorum academicorum ratio haec. Docuerunt me physicam et chemiam experimentalem cel. Hagen sen.; botanicam, doctrinam de plantis medicinalibus, de plantis cryptogamicis, (bis) plantarum etiam demonstrandarum artem exc. eheu! defunctus Eysenhardt, cujus sub auspiciis excursionibus frequens aderam; propaedeuticen medicam, zoologiam, zootomiam ac cadaverum dissecandorum artem, exc. de Baer; anatomen tam generalem quam specialem, physiologiam ac biologiam cel. Burdach; theoriam morbi, morbos syphiliticos nec non de differentia inter prudentiam et honestatem medicam et earum cauta conjunctione exc. Sachs; materiam medicam (bis), pathologiam et therapiam specialem, morbos infantum, medicinam forensem exc. Richter; obstetriciam artem tum theoreticam tum practicam, morbos mulierum, artem formulas medicas concinnandi exc. Henne; usum fasciarum machinarumque chirurgicarum ac de luxationibus et ossium fracturis exp. Werner; chirurgiam generalem, specialem, operatoriam et ophthalmologiam cel. Unger; praeterea quoque praelectiones philosophicas cel. Herbarth et philologicas ill. Lobek haud neglexi.

Policlinicum medicum duce exc. Richter per duos annos frequentavi et aegrotorum curam in me recepi. Clinicum medicum duce exc. Elsner et nosodochium duce exc. Henne per unum annum visitati, exercitationibus practicis deditus; institutum autem clinicum et policlinicum chirurgicum et ophthalmologicum, cui praeest cel. Unger per tria semestria frequentavi, aegrotorum curam suscepi et operationes nonnullas ipse feci.

Omnibus his praeceptoribus habeo gratias quam possum maximas, praesertim autem viris excellentissimis, Sachs et Richter, qui me sibi devinxerant maxime, nec non praeceptoribus mihi dilectissimis semper pio gratoque animo venerandis Burdach, Unger et de Baer, quos viros quoad spiritum traham memoria tenebo.